



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

54 Dispensatione Papae, omnis irregularitas tolli potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

47 Et ex his si laicus, aut clericus in ¶ minoribus constitutus chirurgus esset, & juxta artis peritiam chirurgiæ operam daret, atque ex aliqua incisione absque ejus culpa ægrotus periret, non esset irregularis censendus, Card. in cap. tua nos. Marian. Socin. in c. ad audientiam, num. 13. de homicid. & Covar. in dict. §. 4. num. 3. vers. hinc infertur.

48 Clericis ¶ enim, etiam in sacris constitutis, ac monachis artis medicinæ peritis, ¶ est licitum medicare per modum consulendi: dummodò, nec incisio, nec adustio, nec etiam probabile periculum mortis, aut pharmaci dispensatio intercedat; & maxime erga miserabiles, & conjunctas personas, quibus pro hujusmodi personis est facultas postulandi, seu advocandi permiffa, ut c. 1. & 2. de postul.

Unde, si monachus, vel clericus exerceat medici artem, in qua sit peritus, & absque ejus culpa casu infirmus, & ægrotus moriatur, non efficitur irregularis, ut tenet Cardin. in dict. c. tua nos, col. 1. de homicid. quem sequitur Greg. Sayr. dict. cap. 6. numer. 11.

Sed, ubi requiritur adustio, ¶ vel incisio, in sacris constitutis, & clericis beneficiatis, artis chirurgiæ officium exercere est prohibitum: & si chirurgiæ operam dant, & quis moriatur absque eorum culpa, quia artem sibi interdictam exercent, si ex causa alicujus adustionis, vel incisionis, à chirurgo illata decedat, efficiuntur irregulares. Abb. in cap. sententiam sanguinis, numer. 23. ne cler. vel mon. Patil. conf. 96. col. ultim. lib. 4. & Covar. eodem §. 4. numer. 3.

Tollitur ¶ irregularitas tribus modis, videlicet baptismo, ingressu religionis, &

dispensatione, ut per Graff. decis. aur. par. 1. lib. 4. c. 27. nu. 72.

Baptismo autem deletur omnis macula, omne peccatum, & omnis irregularitas, gloss. in capitulo denique, in ver. inter peccata, dist. 26. cap. si quis viduam, in ver. post baptismum, distinct. 50. Innoc. in c. presbyterum, de homicid. Abb. in c. gaudemus, nu. 17. de divort. & Navar. in manual. c. 27. num. 219 vers. 3.

¶ Excepta tamen bigamia, quæ contracta ante baptismum, perseverat post baptismum, ita quòd bigamus ante, vel post baptismum, non potest promoveri, nec corrupta velari, c. acuius, 26. distinct.

¶ Nec tollitur irregularitas proveniens ex defectu natalium, licet tollatur procedens ex peccato, qualitercunque proveniat, c. si quis viduam, 50. dist. 9. ecce, 51. dist. Graff. dict. c. 27. m. 22.

Religionis ¶ ingressu professione secuta, tollitur omnis irregularitas, excepta illa bigamiæ, & ea, quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, ut cap. scriptura, de vot. capit. 1. de fil. presbyter. & post Sor. & Cajetan. tenet Graff. eodem cap. 27. numer. 37.

Dispensatione ¶ Papæ tollitur omnis irregularitas, quia ab omni irregularitate ex bigamia, aut alio quocunque defectu casu, vel delicto proveniente, papa dispensare potest, c. lector. & ibi gloss. 34. distinct. gloss. in c. proposuit, in verb. supra jus, de concession. praben. & Graff. eodem cap. 27. num. 81.

¶ Quoniam irregularitas solo jure humano est introducta, Navar. eodem capit. 27. numer. 197. sed tamen etiam jure divino prohibentur multi à sacris tractandis,